

Bonifacio VIII. validasque agnoscens collationes beneficiorum factas excommunicatis; *Clem. un. De Immunit. Eccles.* 2^o. irritans aliquos actus quoad suos effectus, ita ut quoad aliquod jus sint nullius valoris. At hoc in casu lex expresse cavere debet etiam de præteritis ut ad præterita extendatur. Habemus exemplum in c. 7. §. 3. De Elect. Quare concludendum est leges præceptivas, vel prohibentes et etiam pœnales actus præteritos non respicere, hosce actus vero legi declaratoriæ subjici, et etiam cadere sub lege quæ inhabilitatem inducit, si de præteritis expresse caveant.

22. Quæstio quinta de legis Ecclesiasticæ promulgatione. Ut lex in suo esse formali obligandi constituatur, non solum requiritur voluntas legislatoris qui legem jubeat, sed requiritur etiam ut signis externis manifestetur. Leges enim ut tradit can. 3. distinct. 4. instituuntur cum promulgantur. Tunc autem lex dicitur promulgata, cum fuerit a legislatore societati sufficienter intimata. Hinc notitia individuorum distinguitur a promulgatione; promulgatio enim dici potest notitia legis habita a societate; ita ut lex quandoque habeatur uti sufficienter promulgata quin singula individua eam agnoverint; non enim requiritur ut lex omnibus et singulis denuntietur: c. 1. de postul. Prælator.; et aliquando quidam cives notitiam legis habuerunt quin adhuc promulgata fuerit.

23. Quæstio ab auctoribus instituitur de modo promulgationis legum universalium Ecclesiæ. Loquimur de Constitutionibus Romanorum Pontificum quæ universam Ecclesiam respiciunt. Quidam auctores arguentes ex legibus civilibus Imperatorum, quæ in singulis provinciis promulgandæ erant Authen. 'Ut factæ novæ Constitut.' Collat. 5. inferebant, leges Ecclesiasticas esse promulgandas in singulis Diœcesibus. Ubi enim nihil in Jure Canonico definitum est, adhibenda videtur esse dispositio juris civilis juxta regulam datam in cc. 1. et 2. De novi oper. nuntiat. sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvantur'. At contra generatim dicendum est. Licet enim antiquitus in more positum erat, ut leges quæ Romæ vulgabatur, Ordinariis mitterentur ut in qualibet Diœcesi vulgarentur atque inde obligare inciperent; tamen quia huic promulgationi obstacula posita fuere, et prudenter timendum erat, ne principes laici in particularibus provinciis publicationem impedirent; praxis inducta est ut lex Pontificis Romæ solum vulgaretur in locis quæ erant populo frequentiora, nempe in Acie

Campi Floræ, ad valvas Curia Innocentianæ et Cancellariæ Apostolicæ, nec non ad valvas Basilicæ Ss. Apostolorum; et per hanc promulgationem vim obligandi, quantum in se est, plenam inter omnes fideles nanciscerentur. Hodie tamen publicatio ad valvas Curia Innocentianæ omittitur ob immutatam loci conditionem. Apostolicæ Constitutiones si Romæ publicentur, censentur sufficienter promulgatæ, ac constituuntur in proprio perfectoque esse formali legum ecclesiasticarum. Hinc stylus Curia est, ut Judices in Urbe quæstiones totius Orbis definiant ad normam legis quæ Romæ tantum promulgata est. Quare in facto est, plures Constitutiones Romæ promulgatas fuisse, et eo ipso vim obligandi habuisse in aliis regionibus. Ex. gr. decreta Innoc. IX., Alex. VII., Alex. VIII., Urbani VIII. et aliorum qui pravas doctrinas et propositiones damnarunt. Idem dicendum de Regulis Cancellariæ, quæ Romæ vulgantur. Censentur autem Romæ sufficienter promulgatæ constitutiones Apostolicæ, quia a Romana Urbe facilis ad omnes mundi fideles earundem notitia pervenire potest.

24. Ceterum distingui debet lex ex parte sui et in actu primo, in quantum nempe vim obligandi habeat, a lege in actu secundo, in quantum nempe subditi in individuo reapse obligentur ad legis observantiam. Promulgatio necessaria est, ut lex constituatur in suo esse formali et in actu primo: et quidem pontificiis legibus sufficit promulgatio Romæ facta. Attamen obligatio in actu secundo, qua revera singuli fideles adstringantur a lege, non urget nisi postquam legis notitia habita fuerit, vel saltem haberi poterit in particularibus locis. Promulgatio autem hoc etiam operatur, ut præsumantur fideles novisse legem, nisi contrarium probent.

25. Verum cum modus publicationis legum temporum adjunctis, ac legum ipsarum naturæ accommodetur; de quibus ipse legislator legitime judicat, sequitur quandoque eundem legislatorem velle legis promulgationem fieri determinatis in regionibus locorum, neque vim habere nisi post lapsum temporis determinati a legislatore. Quod constitutum videmus in c. XIII. de pœnit. et remiss. peccat.; in Bulla Urbani VIII. quæ incipit 'Pastoralis' §. 27. et in ipso Concilio Trid. sess. 24. de Ref. Matr. c. 1. quoad legem de adsistentia Parochi et duorum testium in celebratione Matrimonii. Hæc enim lex non incipit valere nisi post triginta dies a publicatione facta in qualibet paræcia. Insuper auctores a superius allata promulgationis forma excipiunt leges irritantes, quæ aliquem vel con-

tractum vel actum jure naturali et divino-positivo validum infrimant ac nullius roboris reddunt. Hæ leges enim cum afficiant ipsos actus, quos irritant, sive in bona sive in mala fide positi fuerint, ac proinde obligent etiam ignorantes, nisi meliori ratione publicentur, ita ut innotescant facile et cito fidelibus, gravia damna pati possent etiam ii qui bonam leges servandi voluntatem gerunt. At licet ex æquitate Romani Pontifices peculiarem modum promulgationis quoad leges irritantes sequantur, non vero tenentur ex stricto jure. Modus enim promulgationis pendet ex prudenti arbitrio legislatoris. Hinc quædam sibi reservare videmus R. Pont. in Regulis Cancellariæ quoad res beneficiarias, licet illæ Regulæ Romæ solum vulgentur.

26. Quoniam leges quæ a potestate legislativa in Ecclesia feruntur ab ipsa auctoritate propria Ecclesiæ divino jure concessa procedant, hinc falsa est sententia doctorum Aulicorum, qui tenent necessariam esse approbationem civilem et regium exequatur, ut Constitutiones, Bullæ et Brevia R. Pont. in singulis regnis publicentur, et vim habeant. Hunc errorem damnavit Pius IX. in Allocut. diei 20. Sept. 1851. damnans propositionem 'Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civili gubernii venia et assensu'. In syllabo err. 20. pariter idem Pontifex damnavit aliam prop. 'Episcopis sine gubernii venia fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare': Syllab. err. 28. Et tandem damnavit et tertiam prop. 'civili potestati vel ab infideli imperante exercitæ competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant exequatur, sed etiam jus appellationis, quod appellant ab abusu' syllab. err. 41.

27. Quæstio 6^a. De obligatione legum ecclesiasticarum. Notio legis secumfert notionem medii practici et propriam efficaciam habentis; quo medio utitur legislator ut subditos in officio contineat atque ad bonum commune dirigat. Quibus positis, si legislator jus habeat leges intimandi, subditi habebunt relativam obligationem legibus obtemperandi. Hæc virtus legis, qua subditi eam tenentur implere non ob aliam rationem nisi quia legitime imposita est, dicitur *vis directiva legis*. Cum vero homines præmiis et pœnis maxime moveantur, hinc legibus conjungitur æqua sanctio, quæ cum homines coerceat quodammodo ad legis observantiam, *vis coactiva* dicitur.

28. Si quæretur utrum in omnibus legibus humanis adesse debeat præter directivam, coactiva etiam vis; dici posset saltem in abstracto sufficere vim directivam. Homines enim agere deberent ex principio legitimæ obligationis, vel saltem possent leges humanas observare intuitu sanctionis naturalis. Verum in praxi certum est nullam vel fere nullam dari legem humanam, quæ saltem implicite vim coactivam pœnalem non habeat. Dixi *pœnalem*: sanctio enim præmiorum legibus non solet conjungi. Nam sufficiens præmium est honestis civilibus illud bonum, quod ex legis observantia naturaliter derivat.

29. Communiter a doctoribus inquisitio instituitur utrum dentur leges, quæ habent solummodo vim coactivam pœnarum, absque vi directiva; quæque proinde ad pœnam solum et non ad culpam obligent, et possunt appellari *leges mere pœnales*. Si hæc quæstio in abstracto fieret, facile probaretur positiva sententia; lex enim ex voluntate legislatoris in sua efficacia et extensione pendet. Si pariter de legibus civilibus sermo sit, certe spernere non possumus argumenta, quæ pro admittendis legibus mere pœnalibus ab Auctoribus afferuntur. Quandoque enim ex qualitate pœnarum solet optime cognosci mens et consilium legislatoris, volentis deterrere subditos a quibusdam actionibus solo metu pœnarum. At contra tenendum est, si de legibus canonicis quæstio proponatur. Nam pœnæ ecclesiasticæ quæ communi nomine appellantur *censuræ*, non infliguntur nisi ob gravem culpam. can. Nemo Episcopos. 11. 9. 5. Leges ergo Ecclesiæ nunquam dantur simpliciter ad puniendum, sed semper obligant in conscientia fideles ad observantiam. Post auctoritatem S. Thomæ 2. 2^a. q. 189. art. 9. ad 1. auctores docent in statutis religiosarum familiarum plura præcipi tantum sub pœna.

30. Quæstio 7^a. De subjecto legum. — Legibus obligantur subditi qui ratione gaudent, et in territorio commorantur. Prima conditio est ut homo sit subditus legislatoris; obligatio enim legis enascitur ex relatione jurisdictionis ex una parte et dependentiæ ex altera. Porro jurisdictio nihil aliud est nisi efficax potestas principis dirigendi cives et eorum bonum curandi. Hinc de legis natura est, ut ab eo feratur qui communitatis curam habet. Quær lex non urget eos quorum legislator curam non habet, idest non subditos. Hinc si quis aliqua ratione subditus loci non fiat, non obligatur legibus loci illius.

31. Quærere solent doctores, utrum hæretici et schismatici subjiciantur legibus Ecclesiæ. Procul dubio ob baptismum susceptum hæretici et schismatici ad christianam societatem pertinent, et per consequens subditi sunt Ecclesiæ. Quare Ecclesia jus habet eosdem legibus propriis obligare. At dici ne potest revera Ecclesiam velle suis legibus eosdem subjicere? Si sermo sit de legibus necessariis pro tota communitate christiana, prout sunt definitiones dogmaticæ, et leges disciplinares, quæ ad ordinem publicum, ad decus religionis et ad statum societatis firmandum pertinent, tenendum est, Ecclesiam legibus hujusmodi obligare velle etiam hæreticos et schismaticos. Si autem sermo sit de legibus proprie non necessariis in societate, quæ solum pro opportunitate et pro meliori bono fidelium feruntur, præsumi posse videtur, Ecclesiam nolle obligare hæreticos et schismaticos; ob istorum enim contumaciam prævideri aliud non posset, quam violatio legis et major delinquentium iniquitas.

32. Quod autem requiratur secunda conditio patet etiam ex legis notione quæ nihil aliud est nisi ordinatio rationis. Lex vero positiva eo magis evolutam rationem exigit, quo præ lege naturali, quæ cordibus scripta hæret difficiliter intelligitur.

33. Requiritur tandem ut subditus in territorio maneat. Leges enim non adhærent personis, sed vim habent in determinato territorio, extra quod cum non detur jurisdictio, nec legis virtus urget. Quod definitum legitur in C. ult. h. t. in 6°. Hoc vero tertium requisitum non est de legibus generalibus accipiendum, quæ leges limites ignorant, et ubique vim suam exerunt. Intelligendum vero est de legibus particularibus Provinciarum atque Diœcesum.

34. Occasione capta ab hoc tertio requisito legis ad obligandos subditos, quæstio proponitur de Peregrinis et Vagis. Peregrinus ille est qui habet proprium domicilium, a quo ad tempus recedit, ad illud tamen iterum reversurus. Vagus est qui nullam fixam habet sedem et domicilium. De utrisque dicendum 1°. est eos ubique legibus generalibus, quæ omnes fideles obligant, adstringi, non adstringi autem a legibus locorum per quæ transeunt, nisi ratione scandali aut publicæ tranquillitatis. Quare peregrini et vagi in loco in quo actu degunt, tenentur observare leges locales, quæ latæ sunt ad tutandam securitatem et ordinem in loco. Ratio autem desumitur ex eo quod superior loci per breve peregrini aut vagi hospitium non acquirit ordinariam jurisdictionem in eos.

Legis autem virtus limites jurisdictionis sequitur. Peregrini autem nec tenentur legibus et statutis particularibus locorum a quibus discesserunt, quia leges sunt territorii finibus circumscriptæ. c. 2. h. t. in 6°. et L. ult. ff. de jurid. Attamen ratione contractus et criminis in aliquo loco admissi, Peregrini et Vagi subduntur legibus ejusdem loci.

35. In Cap. X. h. t. Innocentius III. agit de statutis et legibus laicæ potestatis relate ad clericos et ecclesiastica bona. Quæstio hinc instituitur, utrum statuta laicorum obligent personas ecclesiasticas, et per consequens bona, quæ Ecclesiarum et Ministrorum patrimonium constituunt. Et 1°. quidem certum est hæc statuta et leges si specificè et directè conficiantur pro personis et bonis ecclesiasticis qua talibus, atque aliquam obligationem importent, non valere, licet videantur in bonum Ecclesiarum et Ministrorum proponi, nisi ab Ecclesia probentur. Quod patet ex cit. C. X. h. t. et c. 30. de Jurej. et 4. de censib. in 6°. Ecclesiasticæ enim personæ et bona ecclesiastica sub respectu religioso ceu personæ et res Deo consecratæ in exercitio ministerii et cultus divini, laicis non subjiciuntur. Namque potestas in sacra a Christo Domino non laicis magistratibus sed Ecclesiæ commissa est.

36. Statuta vero et leges communes quæ generatim negotia civium communemque necessitatem vel utilitatem respiciunt, quæque sacris canonibus et decori status ecclesiastici non adversantur, Clericos etiam ac ecclesiastica bona obligant quoad tamen vim directivam, non vero quoad coactivam. Obligant vero quoad vim directivam, non quia potestas civilis veram habeat in personas et res ecclesiasticas jurisdictionem, sed vel quia rationabiles leges præsumuntur ab ipsa auctoritate ecclesiastica probari, vel potius quia æquitas naturalis, et publica tranquillitas et ordo videntur inculcare clericis observantiam harum legum. Istis autem legibus civilibus non subduntur clerici et bona ecclesiastica quoad vim coactivam, quia clerici et bona ecclesiastica ob privilegium immunitatis non subduntur potestati laicæ ad instar aliarum personarum et aliorum bonorum, quæ in pura et communi conditione civili versantur. Huic vero principio immunitatis aliqua modificatio facta est per Concordata S. Sedis cum variis civilibus guberniis.

37. Quæstio 8ª. de Legum interpretatione. Legis interpretatio triplex est, *authentica, doctrinalis, et usualis*. *Usualis* interpretatio nihil aliud est quam modus practicus, quo judex in foro

aut etiam populus sensum legis explicat per actuum frequentiam: quæque dicitur consuetudo secundum legem. Hac autem consuetudine dicuntur leges firmari. Ita Gratianus in can. 3. dist. 4. ubi hæc scribit 'leges instituuntur, promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur'. Quo in canone verbum 'firmantur' non eo sensu sumendum est, quatenus requiratur acceptatio populi ad legem confirmandam, nam lex in sua firmitate intrinseca constituitur per promulgationem legislatoris; sed lex firmatur moribus populi, quia melius observatur, nec facile per contrarios actus destruitur aut immutatur.

38. Secunda est *doctrinalis* quæ etiam scholastica dicitur, quæque nihil aliud est quam communis sententia Doctorum explicantium verbum obscurum legis. Hæc debet esse communis et uniformis. Hæc interpretatio licet auctoritatem aliquam habeat, tamen vim legis non obtinet, et proprie limites probabilitatis non excedit, tantique faciendæ, quantum rationes, quibus innititur, vim habent. Hæc interpretatio doctrinalis fieri nequit de veritatibus fidei, de quarum sensu jam constat ex Ecclesiæ definitione; 2º. neque de canonibus disciplinariis Concilii Tridentini. Nam Pius IV. in Bulla 'Benedictus Deus' 10. Febr. an. 1564. inhibuit 'Prælati sub interdicti ingressus Ecclesiæ, aliis vero sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, ne quis sine auctoritate Rom. Pont. audeat ullos commentarios, glossas, adnotationes, scholia, ullumque omnino interpretationis genus super ipsius Concilii decretis quocumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine, etiam sub prætextu majoris decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quæsito colore statuere'. Horum decretorum interpretatio peculiari congregationi commissa est. Auctores autem de sensu horum canonum loquentes, explicationibus a S. Conc. Congregatione latis adhærent. Id vero factum est ut vitium impediretur nimium latas producendi interpretationes legum, quemadmodum jam inceperant a tempore Conc. Tridentini.

39. Tertii generis interpretatio est ea quæ *authentica* dicitur, quæ nempe ab auctoritate legitima perficitur; quæque legis vim obtinet, verum enim legis sensum exhibet. Authenticam hanc interpretationem proponit legislator aut ejus successor; nemo enim alius potest legem imponere. Hinc Valentinian. et Marcian. in L. 9. C. h. t. decernunt 'si quid vero in iisdem legibus latum fortassis obscurius fuerit, oportet id (ab) Imperatoria interpretatione pate-

fieri, duritiamque legum nostræ humanitati incongruam emendari'. Hæc interpretatio usuali et doctrinali præfertur. Immo doctrinalis quæ authenticæ adversatur falsa existimatur.

40. De Legum cessatione. — Legis obligatio cessat cessante ratione seu fine legis in communi: c. 60. de appellat. Et merito quidem, quia non præsumitur legislatorem velle tueri amplius illam legem, quam ad bonum commune instituit, et modo vel inutilis vel etiam noxia communitati evasit. Dixi 'in communi' quia in casu speciali et pro individuis lex viget, licet non verificetur fortassis finis legis. Lex enim generale bonum intendit, et in hac hypothesis locum habet adagium juridicum 'finis legis non cadit sub lege'.

41. Cessat 2º. abrogatione vel derogatione. Abrogatur lex cum legitime omnino tollitur. Abrogatur autem vel per contrariam consuetudinem, vel per ipsum legislatorem ejusque successorem, circumstantiis mutatis. Derogatur legi quando ea pro parte immittitur vel mutatur. Hæc porro derogatio fit duplici modo: 1º. si aliquis articulus a lege auferatur, 2º. si aliquis casus particularis excipiat.

42. Tertius modus cessationis in lege est dispensatio, quæ nihil aliud est quam relaxatio legis in aliquo speciali casu vel pro peculiaribus personis facta a publica auctoritate, manente tamen pro aliis obligatione legis. Hæc vero dispensatio ordinarie ab ipso legislatore aut ejus successore perficitur; fit vero aliquando ab inferiore auctoritate vel ex privilegio, vel ex consuetudine, vel etiam quandoque ex præsumpta rationabiliter superioris voluntate ob gravem causam et temporis angustiam. De hac vero re sermo redibit cum de dispensationibus Matrimonialibus agendum erit.

43. Tandem si de lege agatur inferioris potestatis, potest ea cessare per irritationem, cum nempe superior legem latam ab inferiore nullius valoris esse decernit.

TITULUS III.

De Rescriptis.

1. Cum in 2º. titulo B. Raymundus egerit de primo principio juris quod a Principe directe procedit, quodque totam respicit communitatem, in 3º. titulo de alio principio seu fonte juris agit, quod pariter directe a Principe societatis procedit, sed in bonum